



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Tomus Divinus und fürnehmlich das Evcharistiale, Das ist: Lehrreiche Predigen Auff verschiedene hohe Fest deß Drey Einigen Gottes/ und Jesu Christi unsers Herrn ...

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1720

Censura Reverendissimi Patris Magistri Josephi de Alcaez Societatis Jesu SS. Theologiæ in studiis regiis Imperialis Collegii Professoris pomeridiani, per Diæcæses Muricensem, & Cartaginensem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76523)



C E N S U R A

Reverendissimi Patris Magistri Josephi de Alcarez Societatis JESU SS. Theologiæ in studiis regis Imperialis Collegii Professoris pomeridiani, per Diæceses Muricensem, & Cartaginensem Examinatoris Synodalis &c. juxta delatam eidem commissionem à Domino Licentiate Don Alphonso Patillo, & Cardos; in Ecclesia Talaveræ Collegiata Prælato, & in urbe Madritensi Vicario.

i. **I**N tomo hoc *Excitatoris Christiani Divini, & Evcharistici varios Sermones de SS. Evcharistia, aliisque mysteriis continentis*, quem conscripsit Dominus Doctor Don Josephus de Barzia, & Zambrana sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, & Regiæ Majestatis Concionator &c. ego verò, prout Dominatio vestra præcepit, perlegi, complura inveni laude, & admiratione digna.

2. Atque in primis ipsa ejus materia miraculi instar esse videtur. Utpote in qua continentur omnes spiritus delicia, omnesque suavitatis omnigenæ saporis (1) cum singulari, plurimæque ingeniosæ exhibitionis varietate, ubi interim omnia valde abundant gravitate pariter, & dulcedine. Est nempe esculentum quoddam selectum, quod DEUS dat timentibus se, ut eodem nutriantur, perinde atque animentur: & sic fecit monumentum (2) aliquod summorum miraculorum suorum. Et sanè quævis periodus complura ejusmodi videtur discretionis, pietatis, ac elegantia complecti miracula.

3. Equidem diviniſſimus Evcharistia panis (3) malè accipientibus mors est, & interitus, bonis verò vita; illis namque valde nocivus, his verò maximè proficiuus. In quo dissimilis illi est liber iste, quippe omnibus bonus, ac utilis. Prodest enim malis, dum eos commovet, ut convertantur, & de morte peccati ad gratia vitam revertantur. Bonis autem eum in finem servit, ut eos ad meliorem identidem frugem perducatur, quatenus eorum virtutes amplius semper excrescant.

4. Præter ista sapientissimus Author egregiè quoque docet, quomodo prædicari oporteat cum spiritu, & debita gravitate, idque cum solidissimis documentis, tum efficacissimis suis exemplis. Sunt etenim singuli sermones idæ quædam, & exemplaria, pro formandis in Augustissimi Sacramenti, aliorumque mysteriorum festis orationibus.

(1) *Omne delectamentum in se habentem, & omnem saporum suavitatis.*

(2) *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus; esciam de dementibus se.*

(3) *Adors est malis, vita bonis.*

5. Cæterùm conjunxit doctrinæ soliditatem cum suaviloqua quadam styli per se, & quasi à natura fluentis dulcedine; qui sanè sinè affectatione eloquens, & elegans est. Magnam etiam vim adhibet eruditionis variæ, tam sacræ, quam profanæ. Et illa quidem docet, altera verò orationem adornat, & excolit. Illam sacræ rerum scientiam, ut dominam habet, profanam autem ancillæ in morem famulari facit.

6. In summa nihil est in viro tam insigniter docto, quod non dignum sit oratore pientissimè Catholico. Divinam scripturam solidè admodum interpretatur Doctores maxime classicos, & celeberrimos secutus. Ingerit sensum mali horrorem, & boni desiderium. Ratiocinatur cum majestate, & acumine: soliditatem, & ingenium multis elegantissimis exornat: loquitur clarè, & efficaciter. Verbò est instar solis; illuminat namque, & incendit; siquidem intellectum pulcherrima veritatis luce illustrat; voluntatem verò purissimâ Divini amoris flammâ incendit.

7. Deinde se ipsum, morèsque suos in scriptis istis optimè depingit. Scribit namque, sicut vivit; & vivit, sicut scribit; insignis religione, aliorum ædificatione, puritate, ardenti pro communi bono zelo, cui æqualis accedit prudentia: tanquam vir verè Apostolicus. Novit exhorrari, & arguere, quin feriat. In vitia agit, non in personas. Quare, ubi eum audivi, & legi, Chrysostomum mihi quendam exhibet, aut alium non neminem ex celeberrimis antiquioris ævi sacris præconibus. Unaquæque ex plurimis prærogativis, quibus instructus, ornatusque est, (4) alium quemque seorsim felicem reddere posset: quæque aliàs inter omnes dispersa videntur, (5) in ipso unita accumulatur.

8. Denique liber iste admodum æqualis est *Excitatori* ejus primario, tot quidem plausibus excepto, nunquam tamen satis dilaudato. Verè in operibus suis non potest sectari (6) mediocritatem; sed protinus omnia, quæ illius sunt, (7) eminent. His dictis concludo, librum hunc non solum publicæ lucis facultatem mereri, sed & ingentia elogia, & plausus: quandoquidem non pauca habet, quæ sunt singulari veneratione digna; sicut contrà imperfectum nihil continet, quod jure reprehendi, aut vituperari queat. Ita sentio in Imperiali hoc Madritensi Societatis Jesu Collegio 28. Junii anno 1689.

Joseph de Alcaraz.

(4)
Quæ divisa beatos efficiunt collecta tenent.

(5)
Quæ sparguntur in omnes, in se mixta sunt.

(6)
Nihil ex illo potest nasci mediocre.

(7)
Tot probati, quot geniti.